



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Cupressus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

pti videntur, quod minus animadverferunt Salomonem id notare voluisse, cessare tunc libidinis ardorem, cum Capparis nulla esse ceperit: id enim aperte signat, *Dissepata fuerit*: perinde ac si Græci per fabulas suas philosophentur, tunc ardorem Leandri gelidis aquarum fluctibus superari, *Ecclesi. c. 11.* cum primum Herus lucerna fuerit extincta.

JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER LII.

DE FUNESTIS ARBORIBUS, ET CORONIS ALIQUOT.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD LAURENTIUM GRANAM.

Ultimos illo die, quo Celsi Melini iusta, Academia universa deposcence, perdetusto majorum ritu celebravimus, memini te (facundissime Grana) dum funeris apparatus instruebatur, multa de me quærere super funestiarum arborum significationibus, quod nonnullam hujusmodi rerum inquisitioni operam dare me non ignorabas. Tuque meminisse debes pauca admodum ea fuisse, quæ mihi tunc, tanti ac talis amici casu conslernato, memoria succurrisset: tum quod eo totus conversus eram, ut quæ multa in præcepti juvenis desiderium à doctissimo quoque conferiebantur, sedulo colligerem collectaq; publicarem: tum quod nolebam eo tempore te nugis meis occupare, studiorum tuorum socium laudare meditantem. Quem quidem tu non laudasse tantum, sed diuturniori, vel æterna potius vita visus es mihi restituisse. Dignus quidem Celsus, qui tam eruditum, tamq; elegantem funeris sui laudatorem fortiretur: Dignus tu quoque, qui de juvene tam præstanti, tam docto, tam probo verba faceres, quamvis id letiori argumento factum omnes maluissimus. De qua quidem oratione tua multa alii præclare prædicant: nos exuperasse te & nostrum & omnium expellationem, qui de optima quaque concepimus, verissime profitemur. Tibi vero an ego responsurus sim in illis quæ percontatus eras, adhuc ambiguum est mihi: cum vi tamen, ut si quid per diligentiam assequi possem, tua me flagitationis memorem fuisse comprobarem. Itaque Cupressum, & Pinum, & Populum, & pro corona Salsicem, & quadam alia, quæ funesta sunt, perquisivi, de quorum significatis commentariolum hoc ad te conscripsi. Illa vero meminisse debes, cum de coronis quæreretur, quibus cenotaphium cingere solemus, respondi me, ex Salice, ex Moro, ex Caprifico & Loto demum ferta contextenda. Ex Moro, quoniam similem prudentiam tam juvenili ætate præ se ferebat, Ex Caprifico, quia cupiditatibus omnibus, quas innumeratæ ætas afferre solet, ipse jugum imposuerat. Ex Salice propterea quod summa erat adolescentem continentia præditus. Ex Loto, ad divinum ejus ingenium, & omnifaria doctrine studium: quorum quoque omnium rationes poteris ex hoc libello nostro cognoscere. Sed enim in his nihil forte novum tibi gratam tamen futuram spero industriam, quæcumq; esse poterit, meam, quod non contanter satis amico facere procurarim. Eslo igitur apud te nostri hoc amoris quæcumque monumentum: neque id horrore sit, quod senlia donamus: utpote qui Philosophus non minus rerum fines, quam ortus progressusq; sit contemplari solitus. Sed jam quid hæc sibi lignorum strues velit, inspiciamus.

DE CUPRESSO. CAP. I.

Cupressi significata apud Horum nulla sunt, apud Latinos & Græcos pleraque memorantur.

Nnnn

POLL.